# Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 50 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 105.



Leon. Bruni Aretini Epistolae.

## Cod. L. deest

Chartac. Fol. Sec. 15.

L. 32.

Leonardi Bruni Aretini Epistolae. Epistolarum li-
bri octo saepius typis recusi sunt; ex editione Ba-
sileensi 1535. 8. recudi eos curavit Dom. Mansi,
Hamburgi 1724. 8. Sed ingenti numero auctas et
erudita profatione ornatas vulgarit has Episto-
las Ab. Laurentius Mehus Florentinus, hoc titulo:
„Epistolarum libri X. ex recensione Laurentii
„Mehus Florentiae editi an. 1741. Tom. 2. in 4.
Utraque destitutus editione affirmare non ausim,
novas et adhuc incognitas in Ms. nostro contine-
ri. Numero sunt 134. Sed non omnes Aretini, nec
ordine chronologico conscriptae, nec in libros distinc-
tae. Ex iis notatu mihi digniores videntur sequen-
tes: Prima est Aretini ad L. Collutium /: de
quo vide Cod. Ms. XIX.:/ et incipit: "Vereor mi
„Colluci ne te poenituerit eorum" etc. ubi inter
alia conqueritur, quod inepte sibi nomen Cechi
/cecii/, utpote patri suo proprium, attribuatur.
Quinta inscribitur: " Papae comendatur Leonardus."
Incipit: " Post humilem recomendationem et pe-
„dum oscula beatorum." Est epistola Collucii Pie-
rii, qua favori Innocentii VII. Aretinum Alumnum
suum comendat. Primus eam publicae lucis fecit
Domin. Mansi in Fabric. Bibl. med. et inf. lat.
T. I. p. 291. — Folio 33 habetur Epistola Aretini
ad Chiriacum /: Anconitanum:/ quae incipit: "Melius
„erat o Ciriace non tantum sapere" etc. Sed diversa
ab illa, quam vulgarit Baluzius Miscell. T. 3.
p. 111. - Fol. 40. Epistola ad Eugenium IV. seu
profationem ad libros Politic. Aristot. quos ver-
tit in latinum; prodierunt venetiis ao 1504.
Incipit hoc epistola: " Libros Politicorum mul-
"tis a me vigiliis." – Fol. 46. extat Epistola
ad Dominam Baptistam de Malatestis, quae incipit:
„Compulsus crebro rumore." Comendantur in ea
bona studia; an eadem sit cum illa, quam

# Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 50 [Verbleib unbekannt]

[Rudolf Kapeller-Maximilian Pampichler]: Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Seitenstettensis Tom. I (Cod. 1-200) (handschriftlich) [um 1800], 106.



edidit Jo. Alexander Brassicanus, argent. 1521. 8.
an cum illa, quae prodiit Amstelodami aõ 1645. cum
Aug. Grotii et aliorum dissertationibus, ignoro. —
Fol. 54. circa finem incipit fabula Boccacii de
Tancrede principe Salernitano ejusque filia Si-
gismunda, ab Aretino ex Italico in latinum idio-
ma translata. Initium est: "Tancredus fuit
princeps Salernitanus." Agmen claudunt duae Epis-
tolae absque omni inscriptione.

Leonardus Brunus, ab Aretio Tusciae oppido, ubi
aõ 1369. natus erat, Aretinus cognominatus, bo-
narum artium, ac praecipue graecarum littera-
rum in Italia restitutor, 7 Pontificibus Rom.
a Secretis fuit. Per longum tempus gessit mu-
nus Cancellarii Reip. Florentinae, ibique an. 1444.
aetatis 75. defunctum amicum laudavit pro
funere Successor ejus Franc. Poggius, cujus
Oratio edita est a Baluzio Miscell. T. 4. p. 8.
edit. Mansiana. De Scriptis et meritis docti
aeque ac pii viri, vid. Fabric. loco cit. Freke-
ri Theatr. Viror. illustr. p. 1426. Pope Blount
censura cel. Auth. p. 453.
Aeneam Sylv. Epist. 54.

# Seitenstetten, Benediktinerstift, Cod. 50 [Verbleib unbekannt]

Österreichische Akademie der Wissenschaften, Institut für Mittelalterforschung, Abteilung Schrift- und Buchwesen: manuscripta.at - Mittelalterliche Handschriften in österreichischen Bibliotheken
Permalink: manuscripta.at/?ID=27401